



502.

34

5

De

ΠΟΔΟΛΑΤΡΕΙΑ

ROMANI PONTIFICIS,

non suscipienda profitenti
sacra emendata,

PRAESIDE

M. IO. CHRISTIANO BVCKIO,

Graefenh. Sax. Alumno Electorali,

A. D. VII Kal. August. clj Ioc IC

differet publice

JOACHIMVS GVILIELMVS PASCHA,

Stargard. Pomer.

VITENBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.



V I R O.
MAGNIFICO. NOBILISS. ATQVE. AMPLISS.
DN. IO. CONRADO.
BRVCHTINGIO.
CVI. NOMEN. SCHMIDIO.
ICTO. EXCELLENTISS. SERE-
NISS. DVCIS. SAX. BARBI. CONSILIARIO. GRA-
VISSIMO. AC. SERENISS. ELECT. BRANDENB.
CAMER. CONSVL.
DOMINO. AC. PATRONO. SVO.
SVMMO. SVMMEQVE. HONORANDO.

Dissertationem hanc
submisse

D. D. D.

PRAESES.



DISSERTATIONIS
CAPITA.

- I. *Non sunt imitandi Romanorum sacrorum sectatores in honorandis R. P. pedibus.*
- II. *Non tantum enim ex origine sua partim superbiae & superstitionis, partim servilis humilitatis nomine suspectum osculum pedum omne;*
- III. *Quare & Principum summorum optimi quique repudiarunt:*
- IV. *Sed etiam aequae foeda ortu veneratio illa pedum R. P.*
- V. *Et, quod maximum est, impie fit a Christiano, injuste a cive, minus prudenter ab homine.*
- VI. *Quae causa est, quod a compluribus R. P. denegata,*
- VII. *Imo ab ipsis ejus amicis & sectatoribus oppugnata sit.*
- VIII. *Fugienda ergo religioso.*

I.



Acra Romanorum solemnia, finito anno summa religione celebranda, jam frequentes omnium generum homines ad urbem invitant. Utinam vero, quantum splendoris ac pompae, tantum verae probataeque pietatis haberent. Sed nullam hujus spem reliquam facit inveteratus superstitionis contaminatissimae & moris quaestuosus amor. Atque cum multa minus recte & contra solidam doctrinae Christianae sanctimoniam ibi fieri videas,

videas, tum certatim plerosque ad summi Pontificis pedes osculandos currere maxime observaveris. Quod colendi studium ut fortasse non adeo mirum videtur in iis, qui falsa pietatis opinione ad illud ducuntur: ita idem vel imitari, vel probare, vel saltem excusare ad veriore religionis doctrinam institutos, ac de hujus osculi vanitate & dedecore satis doctos, quilibet certe sincerus & prudens iniquiori ac minus libenti accipit animo. Equidem gravissimi doctores, qui de moribus Christiano homine dignis praeceperunt, dudum omnes maxima animorum sententiarumque consensione istam consuetudinem exploserunt, suosque, interposita divina auctoritate, abstertere enixe laborarunt. Nunc videamus, quatenus sint Philosophiae sanioris rationes adversus istam agendi sententiaeque licentiam.

II. Foeda osculationis pedum origo est, partim a superbia & inhumanitate, partim a servili adulatorum quorundam ingenio, imo & a superstitione repetenda. Pedum adoratio prima ad *Asianos*, molles & effoeminatos, quodvis imperium semper perpeffos, ac sigillatim ad *Persas* pertinet, *V. Briffon. de Regno Pers. lib. I p. 8 seqq.* Atque in hac dextram admotam fuisse pedibus, ac deinceps ad os relatam, ex Graecorum verbo auguratur *Lipsius Elect. lib. II c. VI.* Quamquam semper ita observatum esse, vix idoneo veritatis argumento probabitur. Cyri vero pedibus servavia lata aliquando, narrat Xenophon. *In Ester. fragm. X,* & est, Mardochoeum Iudaeum non dubitasse *φιλεῖν τὰ πέδματα ποδῶν Hamani, Persae,* si gentis suae salutem expedire ita posset. Quod quidem ut exemplum omnium contemptissimi cultus eo loco adducitur. Apud *Romanos* Imperatores primum fere imperante *Cajo*, eo, qui divinam majestatem asserere sibi coepit, numinum simulacris capite demto suum imposuit, & inter fratres Deos, Castorem atque Pollucem, medium se adorandum exhibuit, imo monstri potius, quam

quam Principis probi nomen meritus est *Sveton. c. XXII*, hoc genus vilissimi osculi natum creditur. Etenim de hoc praeter ceteros Dio memorat, Pomponium Secundum Consulem, ejus pedibus assidentem, eos subinde exosculatum esse, Imperatorem quoque plerisque Senatoribus manum vel pedem praebuisse adorandum. Quod aemulatus Diocletianus, qui se Jovium nominavit, edicto singulari sanxit, ut omnes sine generis discrimine pedes ejus exoscularentur, *Eutrop. lib. X.* Abs quo insolenti cultu nec Maximinum juniorem abhorruisse, *Jul. Capitolin. c. II* confirmat. Sacerdotibus veterum Romanorum, ut Plutarchus testatur, concessum fuit, ut reliqui hunc ipsis honorem exhiberent.

III. Multi idcirco Principes ea fuere modestia & continentia, ut aegre ferrent, inhumanum hunc cultum sibi offerri. *Carolus V* Imperatorem voce joculari illa quidem, sed praeclarissima tamen & sapientissima ferunt Afris pedes ejus veneraturis dixisse: *non pedes imperant, sed caput.* Qvendam alium insigni ignominia affici, & tanquam fatuum a pedibus abstrahi abripique jussit idem ipse. *Trajanum*, Imperatorem optimum, ex eo capite cum primis ornat elegantissimus ejus copiosissimusque laudator, quod civium amplexus ad pedes suos non deprimat. Quod testimonium illico falsitatis argvit Sylvestrum, Jesuitam, qui illum osculi talis amatorem comminiscitur & flagitatorem, *conf. Martial. Epigr. l. X, 72.* Plutarchus singulari scriptor judicio ac diligentia, dignum putavit, quod de *Pompejo*, rerum gestarum numero & magnitudine incomparabili, memoriae proderet, eum ad genua provolvere se intendentem Tigranem, dextra apprehensa, ad se traxisse. Quorum quidem gloriosa exempla non solum approbare *hodierni Principes*, disciplina cultiori & mansuetiori imbuti, sed etiam sequi videntur. Sunt cum summo imperio eoque loco divinitus positi, ut nullius hominis arbitrio, sed suo unice agant,

nec magistros morum censesve audire necesse habeant. Abstinent tamen a pedum honore & quavis alia ratione personarum suarum dignitatem ostentare ac tueri, barbarisque illum & inhumanis gentibus relinquere malunt, ut Persarum Regi, de quo *Olear. Itin. orient. l. IV c. XXXVIII, XLII p. 510, 528*, Tatarorum Lamae seu Sacerdoti Summo in urbe Barantala, *V. Erasm. Francisc. Lustgart. Part. III p. 1664*, Regi Insulae Hornanae, de quo *T. II. Navig. Belgic. N. XIII. p. 96*.

IV. Non honestiori loco natum esse osculum pedum Romani Praefulis, confirmare liquido possumus. *Polydorus Vergilius* ultima hujus cultus initia a veterum Romanorum Pontificibus repetenda statuit. Ita enim hic *de Invent. Rer. l. IV c. XIII: Institutum, ut nos Pontificum nostrorum pedes osculareremur, a Romanis Pontificibus duxerim, quo mos ille osculandi antiquus, a Deorum etiam cultoribus servatus, ad veram Deitatem usurparetur*. Intra cancellos Christianarum ceremoniarum continere se maluit *Baronius in Annalibus*, ad majestatem Pontificis Romani, ut sentit *Casaubonus*, compositis: *Nec illud, inquit, praetereundum est, quod ait Tertullianus de recipiendorum poenitentium ritu, consuevisse illos prostratos lambere omnium, qui adstarent, vestigia, certe & Sacerdotum, certo certius & ipsius Pontificis, ad cujus pedes quoque accidere, instar poenitentium, fideles ceteri semper soliti fuerunt*. Longius petita eaque de causa suspectiora sunt ea, quae *Cornelius a Lapide ad Act. IV, 35 p. 112* differit, reliquias esse putans reverentiae primorum Christianorum, pretia facultatum suarum venditarum ad pedes Apostolorum deponentium. In cujus sententiam in primis *Lojolita*, *Josephus Stephanus*, insignis ille hujus cultus defensor, concedit. Me alienum profiteor ab his omnibus, nisi quod *Polydorum* ceteris anteferendum censeam, si ex semine certo notoque, & non potius ultro, tanquam infelix lolium inter segetes, enatum crederem osculum

lum istud; quot enim Paganorum instituta imitantur addicti Romano Pontifici? Verum, ut, quod sentio, paucis dicam, temere ille cultus ortus est, & qui primi exhibuerunt, suo arbitratu servilique indole, non aliena auctoritate, non antiquis exemplis ad hoc faciendum impulsus sunt. Humilis hominum animus pater, mater Pontificis superbia, monstrosa illa primatus libido obstetrix, superstitio temporum illorum increbescens nutrix illi extitit. Namque si certa ratione consilioque inventus esset, non tam rarus, non tam vagus inde ab incunabulis suis, puto, fuisset, ut demum post aliquoties centum annorum decursum solemniter esse, legeque publica exposci coeperit. Primis septem post natum Servatorem seculis ita res erat inaudita, ut in omnibus temporum istorum monumentis nullum plane hujus osculationis exemplum reperire liceat. Nam in fabularum numero habenda est, Scaligeri etiam sententia, narratio de Philippo Arabe, medio seculo III Imperatore, eum ad pedes Fabiani Pontificis procidisse, quamquam Eusebii & Nicephori Callisti testimonio nonnulli velint niti. Nec magis verum est, praecipitante illo seculo Cajum Pontificem hoc cultu impertitum esse, quod quidem Baronius confidenter affirmat. Deferimur itaque ad seculi VIII ortum, cujus anno decimo *Justinianus II*, Imperator, tam abjecto demissoque animo fuit, ut non puderet ad pedes Constantini Papae amplectendos descendere, *Blondus Flavius Decad. I L. X p. 138, Barthol. Platina p. 99*. Eodem seculo extremo Longobardorum Rex, Luitbrandus, ad Stephani II pedes arrepsit, *Blondus d. l.* Impensius mireris, seculo IX oriente Carolum M. divinum herosa, induci potuisse, ut osculando veneraretur Adriani, Papae, pedes, *Cranz. Metrop. l. II c. 1*. Nam illud apud Platinam fortasse minus admirationis habet, & seculo XI longe corruptiori, & Crescentium, Romanum effoeminatissimum, & praefer-

sertim metu formidineqve coactum illud venerationis genus
instaurasse, & velut ab inferis excitasse, cum ita reconciliandus
esset Papa, Joannes XVII. Eodem seculo Alexandrum II a
Lanfranco, Archiepiscopo Cantuariensi, memorant hoc oscu-
lum postulasse, *Baron. Annal. T. XI p. 398*. At haec tum nulla
adhuc fiebant lege, sed vel ab afflictis salutemqve desperanti-
bus metu, vel a mollissimis adulatoribus, vel superstitionis
culpa aliqua etiam minime certis fideiqve sublestae au-
ctoribus narrantur. Deinde vero ita sibi hunc honorem arro-
garunt Pontifices R. ut non tantum praeciperent sibi fieri, sed
etiam aliis fieri prohiberent. *Gregorius* enim VII, *Hildebrandus*
vel potius *Hellebrandus* dictus, incarnatus Diabolus, qui Impe-
ratorem primus execrare imperioqve deturbare ausus est, sur-
rogato novo, *Kromayer. Hist. Eccles. p. 8*, & exquisitissimus ne-
quam, *Franc. Alban. Anatom. Pontif. c. XVI p. 251*, relatus inter
Papae scortatores, cui cum Mathildide diu stupri consuetudo
fuit; *Gregorius*, inquam, ille cum fastigium esset impositurus
regno papali, dudum inchoato, atqve omnia conquiret,
quae ad majestatem ejus pertinerent, referre censebat, san-
ciri certo capite legis, ut ex eo tempore osculo pedum omnes
Pontifices R. & soli & semper colerentur. Propterea illud non
loco inter privilegia Papae retulit impudentissima voce: *Solius*
Papae pedes omnes Principes deosculentur, *Benno de Gregor. VII. Ce-*
remon. Rom. lib. III Sect. I modum etiam osculandi pedes Pon-
tificis Imperatoribus coronandis definit.

V. Si momenta ea atqve circumstantias, quae ad actio-
num nostrarum honestatem turpitudinemve aestimandam
commendari solent, hic excusseris, nihil quicquam erit, quod
non dedecus & vitium prodat. Non disputabo equidem nunc
cum quibusdam, sitne ingenui liberalisqve hominis, se canino
more adolvere hominis pedibus, eosqve, cum sint infima
mem-

membra, maximo osculi honore afficere; quemadmodum Conon Atheniensis veritus est, ne civitati suae esset opprobrio, talem Artaxerxi habere honorem: Sed pravitate & vitio nunquam liberabitur ista veneratio, facta summo Romanorum Pontifici a Christianis sacrorum emendatorum. Ipsi quippe persuasissimum habent, optimi Conservatoris acerbissimum adversarium esse illum Pontificem; Neque eosdem praeterit, expeti istam venerationem ut Christo debitam. Conscientiae itaque suae vim infertis, qui Sacrorum puriorum principem hostem, quem mens sua, in Scholis nostris edocta, omnino jubet fugere, nihilo secius divino cultu veneratur. Dixerit fortasse quispiam, nondum satis liquere, utrum in vitio ponendum sit illud osculum. Sed de hoc fortasse indocte dubitatur; quando ipsa doctrinae religiosae, quam ille sequitur, prima elementa demonstrant, abhorrere nos oportere ab ista superstitionis communitate. Imo faciamus, causam esse dubiam. Atque & sic omittendus erit iste cultus. Bene enim praecipunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites aequum sit, an iniqum *Cic. Off. lib. I.* Praesertim cum nulla urgeat agendi necessitas *Grot. de I. B. & P. lib. II, XXIII § 2.* Aut tutior saltem pars eligenda *Pufend. de I. N. & G. lib. I cap. III § 6.* Abstinerere vero ab ista osculatione, caret periculo, cum tamen maximo erroris metu angatur contra faciens. Nec integrum est, hic simulatione uti. Tametsi enim nec ipsi omnem omnino damnemus simulationem, tamen apud illum eoque loco, ubi confessione ingenua potius opus est, suum de religione sensum dissimulare, plane nefas esse ducimus. Ut taceamus, etiam in aliis causis & negotiis ulterius simulantem vel dissimulantem, quam ad sui defensionem opus est, facere fidei jacturam, quia nulla

B

ma-



major est, *Pufendorf. d. l. § 9.* Minime vero accipienda excusatio, osculationem hujusmodi non nisi civile honoris genus esse, quod sine omni fit peccati suspicione. Nam primum audiendus est *Jo. Filescus de Idol. Polit. c. II,* etiam externos ritus ita temperandos esse, ut possint honores divini ab humanis discerni. Deinde negat ipse Pontifex civilem esse cultum; quem sanctione publica sibi soli & semper asseruit, ut in ejus communitatem venire Imperatorem Regesque nolit. Quo ipso pro certo affirmat, sua opinione soli Deo & Christo, nulli vero homini, nisi ejus vicario istum honorem esse exhibendum. Postremo uti vocabulorum vis & significatio judicanda ex usu istius loci, ubi negotium geritur: ita signorum omnium, quae & osculum illud est, valor Romae aestimandus est ex usu & interpretatione Pontificis populi que Romani. Quemadmodum nemo sicum monstrare, quod Italis dicitur, audebit, quia contumeliae illis signum est, licet fortasse alibi non attendatur. Atque hoc pacto, quia non est Christiani suam de religione sententiam dissimulare aut negare, mendacii etiam crimine sese obstringet: qui, quem animo detestatur, eum significat summo honore dignum. Imo quo modo pro civili veneratione habebitur, quae non civili personae, sed sacrae praestatur? Cum & ipse deprecatur Regis Principisve titulum, longe supra illos se efferens, atque a nemine ita appelletur, nisi forte ab ignorantibus barbaris. Nam & alibi memoratum nobis est, Turcas summum Pontificem Francorum Regem, Persas eundem Maximum Christianorum Principem vocare solere. Ecquae praeterea tanta causa est peregrinatori osculandi Pontificem? Nulla profecto, nisi forte, ut curiositas & libido fatietur rerum istarum cognoscendarum, ac gloriola, nescio quae,

quae, reportetur. Vanam esse gloriae hujus opinionem, in certissimis pono. Curiositas vero illa laudisne an vitii plus habeat, aliunde & sigillatim ex singulari Plutarchi libro, de hoc argumento composito, constare potest, qui Lo-crensium etiam judicium laudat, animadvertendum esse dicentium in eos, qui curiose res novas a peregre redeuntibus sciscitarentur. Minus equidem dubitaverim, fieri, ut Pontificis amici gloria & praedicatione se efferant, videntes tanto studio nostrae religionis homines ritum sequi a Doctoribus nostris plane damnatum & explosum.

VI. Non ignorant omnino historiae, qui forti magnoque animo illius cultus turpitudinem refugerint. Quos inter *Rollo, Normannorum Dux*, primo loco habendus. Nam cum Carolus Simplex, Galliarum Rex, traderet Rolloni Normanniam, simulque daret in matrimonium filiam Gislam, voluit generum osculari sibi pedem. Dux, quo erat ingenuo magnoque animo, renuens facere, ad ultimum dedit ministrum vice sua fungentem, qui pedem a Carolo protensum mordicus apprehendit, Regemque resupinavit. Indignantibus Carolo ministri facinus respondit Rollo, hunc pedes osculandi genti suae morem esse. *Cranz. Norveg. l. II cap. XXVI.* Si quis ea forte aliena credat, requirens exempla eorum, qui Papae eam submissionem negaverint, praeter ceteros cogitet *Patriarcham Constantinopolitanum*, cujus ea fuit in hac causa constantia, ut vehementer admonentibus, hortantibus, rogantibus, obtestantibus, accusantibus, minitantibus, quanquam domi graviter a barbaris afflictus, tamen in Concilio Florentino obsisteret, neque ad istam osculationem persuaderetur. Iucundum est cognoscere ex Graecis hujus Concilii Actis, quem ad modum res

fuerit agitata: Mane cum solvissimus ante primam horam diei, videmus carissimum, ab Imperatore missum, ad nos accurrentem, qui nunciavit Patriarchae, Papam expectare, ut sua magna Sanctitas accedens eum adoret, & ejus pedem osculetur, & Imperator, inquit, jam tertium diem adstat, & dimicat, ne hoc fiat, quod interim Tuae magnae Sanctitati indicat, ut scias quonam pacto sit Tibi accedendum ad eum. Grave visum est valde Patriarchae, quippe qui confidebat, se a Papa aliter omnino susceptum iri, aliumve affectum repperitum: Etenim, cum adhuc Venetiis esset, dixerat cuidam ex domesticis & familiaribus Papae, ego statui apud me, quod si Papa aetate me praecedit, ego ipsum habeo pro patre, si aequales sumus annis, habeo eum pro fratre, si autem me junior est, habeo eum pro filio, & meae mentis est, ut si aliqua sit domus propinqua domui ipsius, quae habeat transitum suspensum supra viam, eam det mihi, ut privatim accedam ad eum & ille vicissim ad me. At ubi exaudivit exosculationem pedis obstupuit: Tamen discessit & frequenti jam foro Ferrariam pervenimus & stetimus ex adverso arcis prope pontem, & ante meridiem venerunt sex Episcopi & Patriarchae ex parte Pontificis adventum congratulati sunt: Patriarcha vero dixit, se ad talem salutationem non teneri; sed quandoquidem fratres sumus, inquit, complectamur nos, & osculemur invicem fraterne, aliter ego non faciam. Habuit autem & alios sermones Patriarcha ea de re, ad quos & illi responderunt; Et Patriarcha, cum omnes, quos secum adduxerat, Episcopos consulisset, una voce decreverunt: Hoc fore neque justum, neque decorum, neque utile. Redeunt mane Episcopi Pontificis & osculum pedis exigunt: Patriarcha vero indecoram esse hanc instantiam edisserit: Undenam enim Papa hoc juris habeat, aut quae
nam

nam Synodus ei contulerit, & ubinam scriptum fit, inquit ostendite, praesertim cum Papa dicat, se esse successorem B. Petri. Sed responderunt Episcopi, morem antiquum esse Papae, & omnes ipsi talem salutationem deferre, Episcopos, Reges, Imperatorem Germaniae ipsum, Cardinales adeo Imperatore ipso majores, utpote consecratos: Ad quae Patriarcha, novum inventum hoc esse, non acquiescam, inquit, non hoc faciam unquam, sed si quidem vult Papa, ut ego eum salutem fraterne secundum nostrum antiquum morem, eo pacto ego eum accedam, sin hoc non recipit, recuso omnia & revertor. Ac finis fuit, ut Pontifex M. Patriarcham in privata cella suscipere cogeretur, idque praesentibus tantum Cardinalibus; Ita narrationem exhibet Becm. Syntagm. Dignit. Illustr. Dissert. II cap. I § VI. Singulare quoque est, & memoria haud indignum factum Christophori Vurtembergici, Guilelmi Comitis Furstembergensis, Daniae Legati & complurium aliorum, qui, licet ipsi Reges Francorum & Navarrae Duces Allobrogum, Florentinorum, Ferrariensium, maximus Magister equitum sacrorum atque innumeri alii Principes & Nobiles viam praeivissent, & Connestablius etiam atque etiam instaret, tamen osculum pedum Paulo III Massiliae praecise denegarunt. Sleid. l. XII & Bodinus de Rep. l. I cap. IX p. 181. Minus feliciter arrogantia successit Pontifici ab Angliae Legatis id expectanti. Viris enim his gravissimis servilem colendi rationem deprecantibus, catellus Comitis Viltoniensis, partibus quasi Domini functurus, accessit ad pedem Pontificis, protensum jam & compositum ad osculum recipiendum, & sandalia auro gemmisque distincta, ut sunt hae bestiolae fere dentibus prurientibus, mordicus apprehendit. Pontifex rei indignitate stomachans, Legatorumque cachinnis ma-

gis exacerbatus pedem ignominia inusitata affectum vultu frustra minaci retraxit, *Vsserius de Christian. Eccles. success. & statu c. III p. 69.*

VII. Est volupe, cognoscere judicia, prudentum hac de re. Persicam προσκύνειω Xenophon in oratione de Agefilao taxat, quod ita Reges honorem divinum sibi arrogant. *Livius lib. IX* humi jacentium adulationem, Persicam Servitutem *Seneca lib. II de Beneficiis cap. XII & lib. III de Ira cap. XVII* vocat. *Jul. Capitolinus Maximinum Junioem in vita cap. II p. 268* eo nomine inter alia in Salutationibus superbissimum dicit, quod nonnunquam pedes sibi honorari passus sit, addens, id nunquam passum esse seniore Maximum, sed dixisse: *Dii prohibeant, ut quispiam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* In Cajum Caesarem vehementer invehitur *Seneca d. l. Porrexit ad osculandum sinistrum pedem: qui excusant eum & negant id insolentiae causa factum, ajunt, socculum auratum, imo aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse. Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum & margaritas osculatus est, & alioquin nullam partem corporis ejus electurus, quam purius oscularetur? Homo natus in hoc, ut mores liberae civitatis Persica servitute mutaret, parum judicavit, si Senator senex summis usus honoribus, in conspectu principum supplex sibi eo more jacuisset, quo victi hostes victoribus jacuere. Invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est rempublicam calcare? Lipsius vilissimum osculum vocat, & *Ant. Guevarra lib. I Epistol. Osculari velle manus & pedes, inquit, rus redolet & agrum. Martialis lib. X epigr. 72* exultat laetitia ob insolentiam illius cultus cum Domitiano extinctam:*

Fru-

*Frustra blanditiae venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicturus Dominum, Deumque non sum.
Iam non est locus hac in urbe vobis:
Ad Partbos procul ite pileatos,
Et turpes humilesque supplicesque
Pictorum sola basiate regum.*

Speciatim eorum, qui cetera Papae auctoritatem reverentes in hoc corruptelae capite diffident ab oraculo illo Romano, est ingens multitudo. Nam de sententia eorum, qui meliora edocti in pristinam Ecclesiae sanctimoniam veritatemque se vindicarunt, non est dubitandum, nec multis nunc quidem exponendum. Iis igitur, qui illam ex odio profectam criminantur, placeant ea, quae ab his non nisi veritatis amore dicta putare possunt. *Papyrius Masso in vita Benedicti XII* Osculum tale serviliter aequae ac impie fieri censet. *Polydorus etiam Vergilius*, acris ceteroquin sedis Romanae vindex, manifeste illud arrogantiae arguit, cum, considerato Petri facti, Cornelii venerationem nimiam non ferentis, ejusque voce adeo modesta expensa, exclamat: *O vocem memorabilem atque salutarem! Si bene multi hodie sese quoque homines tantum esse perpenderent, qui propterea, quod sacerdotio sint praediti, plane se reliquorum mortalium longe post hominum memoriam imperiosissimos Dominos praebent, non communes patres, uti fieri deberet. Ita usu venit, ut nos Pontificum nostrorum pedes deosculemur &c.* Idem sensus *Vasquezii* fuit istam Petri vocem meditati, dicit enim: *Si ex modestia recusavit Petrus idque a Centurione; annon adversus modestiam peccat, qui Chiliarchas & Chiliarcharum dominos ad suos pedes adigit?* in P. III qv. 25 Art. 5 Disp. 98 c. 3. Inquam sententiam item *Erasmus*, Vir ingenuus, superilla Aposto-

postoli abſtinentia commentatur: *Vbi ſunt igitur, qui non modo ingenuos, ſed etiam ſummos Monarchas, ad oscula, non pedum dico, ſed calceorum, non admittunt modo, ſed cogunt?* Simile huic eſt *Zabarellae Cardinalis Tract. de Schiſm. Innocent. VII & Benedicti* iudicium, quo inſatiabilem immoderatamque honoris cupiditatem in Pontificibus M. aperte notat: *Effet etiam, inquit, conſiderandum de reverentia facienda Papae, ne in ea excedatur modus, ut videatur non minus honorari Papa, quam Deus.* *Faber praefat. in Inſtit.* egregie cordatus exiſtimator eſt fuci & ſimulationis, quae ineſt in modestia Pontificum, qui moleſte fert Papam in verbis ſe dicere ſervum ſervorum, de facto tamen ſe adorari permittere, quod Angelus in Apocal. refugerit.

VIII. Nos ita ſentimus, non omne omnino pedis osculum penitus damnandum, ſi perſonae iſto honore dignae applicatum fuerit. Nam quia ſecundum Deum in terris ſummi ſunt Imperatores & Reges, non ſane apparet ratio, cur ſcelere obſtricti iudicandi ſint Principes cetera boni, qui iſthoc admittunt, tanquam cultus civilis genus. Sed tamen potentiffimi quique Imperantium ſibi temperandum meminerunt & meminiffe debent in his etiam externis majeſtatis & ſplendoris ſignis, nec unquam mente eorum excidere oportet humanitatis memoriam, qua ſe caſtigari quotidie volebat Philippus Macedo. Paucis: non condemnandus magnopere eſt Rex, ſi osculum pedis, non ad oſtentionem, ſed civili ratione forte introducit; magis culpa caret, qui ſine ſuperbia retinet: Laudem ſummam meretur, qui aut, ubi inuſitatum eſt, non inſtituit, aut ubi inſtitutum, ſponte abſtinet. Illa quippe prudentiae ſunt, hoc modestiae putatur. Praefuli autem Romano cultum iſtum exhibere, uti demonſtratum, hominibus noſtris in religionem venire debet.

94 A 7368

ULB Halle
002 928 582

3



10 17







~~A~~ 5
 A T P E I A
 ONTIFICIS,
 da profitenti
 iendata,
 S I D E
 ANO BVCKIO,
 umno Electorali,
 gust. cl^o Ic IC
 ublice
 WELMVS PASCHA,
 Pomer.
 ERGAE,
 EVSIGII, Acad. Typogr.

